



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Basilivs Magnvs. 14. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

verba praterita mala plangunt, sensu futura meditantur.
 Salv.

2. Potes quidem variis de rebus loqui, dummodo, quæcumque dixeris, ad Deum referantur. Solari mæstos, peccatores arguere, commissa tibi temporalia verbis exponere, & alia id genus profunt saluti, si rectus fuerit dicentis animus. Itaque omnia verba tua serviant divinæ gloriæ. Imitare nascentis Ecclesiæ Christianos. *Ita fabulantur, ut qui sciunt Deum audire.* Tertul.

3. Dei causa tacendum est, dum calumniis tua fama dilaceratur; dum morderis scommatibus, quæ quidem ingeniosè retorquere posses; dum nascitur occasio te laudandi, vel alios criminandi, abstine verbis otiosis & maledicis: cave, ne verba tua sint aliis offensionis. *Tacere nosse, quàm loqui, difficilius est.* Ambr.

S. BASILIUS MAGNVS.

14. Junii.

Non enim habemus hic manentem civitatem. sed futuram inquiremus. ad Hebr. c. 13.

Magnum esse BASILIUM, ad ardentis columnæ facem D. Ephrem vidit.
 D d 3 Magna

Magnum deinde ostendit CHRISTUS ipse, dum sacris operanti adesse spectabilis cum Sancto duodecim virorum coelestium senatu, voluit. Sed & talem Hebraeus non nemo credidit, cui profano adhuc, sacrae tamen mensae accumbenti, cum minimo in orbe magni VIRGINIS FILIUM è manu sua propinasset, manus & ipse dedit. Magnum demum miserunt è maximis Tyrannis duo. Horum alter Julianus (is qui turpe sibi Apostatae nomen peperit) orante contra se BASILIO, sententiam ferente Deipara virgine, exequente D. Mercurio, orbi poenas perfidiae, quas meruit, dedit. Non felicior alter Valens, exilium D. nostro necquiequam semel iterumque intentavit: Nam sententiam impiam ferre jam cogitanti, ipsum justius iudice suo tribunal reclamavit, fellam diffractam, & subscribere laboranti, penna atramentum, quod habuit, tertium negavit: ipsa manus facere officium noluit; certe ut non posset, exaruit; Conjux Filiusque aegri ad cogitatum scelus nolentes etiam ingemuerunt. Et Filius quidem à magna Basilii manu convaluit. Cui cum Valens pessimos superinduxisset medicos Arianos, Filius continuo male mortuus est. At bene noster, sub annum
Christi

Christi CCC. LXXIIX. vixit Bassilius, vel
hoc uno Magnus magnique faciendus Par-
theniis Sodalibus, quòd Virgo vixit. Ex
Suria.

M E D I T A T I O

Mundus exilium est.

1. **M**undus Exilium, Cœlum patria est. In-
de tria inferas oportet; primùm patriæ
suavitatem vehementiùs appetendam esse, exules
quippe divitias, ingenium, vires, amicorum gra-
tiam, omnia denique profundunt, ut redeant in
patriam suam: adhibe pariter, quidquid in te est
facultatis, ingenii, sanitatis, ut ad Cœlum, patriam
tuam pervenias, ibi Maria mater tua, ibi parentes
& amici tui: nervos omnes contende, ut illuc
aspices, Cœlum interdù aspice, nec poteris, quin
exclames: *Quando veniam & apparebo ante faciem,
Domini? David.*

2. Mundus exilium cùm sit, perinde tibi esse de-
bet, vel in hoc, vel in isto loco manere: patria
tua sit ille ipse locus, ubi Dei major gloria & ani-
marum salus speratur. Ubique matrem invenies,
quæ te sustineat, ac tibi præbeat alimenta: Ubique
sol illuminabit te. Quid adeo sollicitus es de habi-
tandi loco? ea quidem (ait Aug.) Justa esset soli-
citus, si aliquòd posses mitti, ubi Deus non esset.
Exul non erit, qui Deum in mente habebit. Cypr.

3. Si in hoc exilio tot ac tantez deliciz, quid in

D d 4.

patria

patria? si amicis juxta ac inimicis tanta dederit Deus, quid amicis & filiis daturus est? Contra verò, si in hac vitâ Electi & amici tam acerba patiantur, quanam & quanta inimici in alterâ?

S. VITUS MARTYR.

15. Junii

*Memor esto. itaq; unde excideris,
Et age pœnitentiam Et prima o-
pera fac. Apoc. 2.*

Liberalius cœlum Româ etiam pueris
etiam pueris triumphum non negat.
Certè VITUS Adolescentulus duodecim
Annos natus, plures jam Tyrannos, eos-
que inter Parentem triumphavit. Flagra e-
nim primò Christianâ fortitudine concoxit,
& poterant videri Aërem verberâsse, non
Vitum tortores, nisi & his & una Valeria-
no Proconsuli manus diriguisset. Restituit
tamen hanc Martyr Tyranno, ne, quem
vinceret, deesset. Hinc aulâ est inclusus
à mulierculis & cæteris illecebris instructâ,
quò blandiore, hœc periculosiore, scilicet
carcere. Sed prælianti Cælites adfuère, tan-
ta luce coruscæ, ut lucem curiosi parentis
oculis